

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM







VOS VIRI  
K... ..  
DIVITIARUM  
**EVANGELICARVM**

*Disquisitio Decima tertia*

PRÆSIDE

**CHRISTIANO GUEINZIO**

Gymnasii Salani

Rectore

*Respondente*

**JOHANNE BLUMENTHALIO**

Havelomontano

*Dominica V. post Epiphanias*

*A. O. R. cl. l. cc. lll.*



HALLIS SAXONUM

*Prelo Heredum Melchioris Oel-*  
*schlegely*

*Dno Wnzeru*



VOS VIRI

*Reverenda dignitate, doctrina nobilitate,  
Virtutum splendore Clarissimi,  
Dnn.*

**JOACHIME BLUMENTHALI**  
Ecclesie Havelbergensis Pastor vigilantissime,  
vicinarum Inspector gravissime,  
Patruæ dilectissime, Tutor Parentis instar  
deverande.

**M. DANIEL BLUMENTHALI**  
Ecclesiae Neo-Soltquellensis primarie,  
Patruelis uti delectissime, ita dilectissime,  
Præceptor omni cultu colende

*Acceptate precor mei Patroni  
Magni, Patruæ, tuq, Patruelis  
Acceptate precor sereniori*

*Fronte, primitias sacri laboris:*

*Vt quondam meliora polliceri*

*Vobis de studiis meis queatis*

*id optat*

**RESPONDENS.**





ANALYSIS  
EVANGELII

*Dominica V. post Epiphantias.*

*Math. 13. v. 24, usq. ad 31.*

*Antipagmentum.*



*Uod Psaltes habet Psal.*

*78. 2. Aperiam os meum in para-  
bolis: id impletum esse. 1. ob Scri-  
pturarū testimonium, Psal. 9. 4.*

*2. ob regni Christi statum,  
i. Cor. 4. 20; Et 3. ob aliorum exemplum, nem-  
pe Nathanis, 2. Sam. 12. Esa. 14. 4. Salomonis,  
qui locutus est parabolas, 1. Reg. 4. Et 4. ob u-  
tilitatum cumulum dum simpliciter & rei de-  
monstrande causa sunt inventa vel maxime e-  
tiam testatur presens Evangelium*

THESIS I.

*IN quo habetur Parabola de semine tum  
bono, tum malo: de semine bono seorsim*

S

pro-



proponitur ratio viz 4. in quo summam pro-  
ponit modum: aliam parabolam, quia in hoc  
ipso capite septem alias reperiuntur, nempe 1. de  
semine apud paucos fructificante, 2. de grano  
sinapis, 3. de fermento, 4. de thesauro abscon-  
dito, 5. de margarita, 6. de sagena, & tandem  
7. presens: Christus enim dicitur quasi dives  
Paterfamilias, qui invitatos diversis reficit ci-  
bis, ut unusquisq; secundum naturam stoma-  
chi sui varia alimenta acciperet, habet Glossa  
ordinaria. Est autem Parabola, non secundum  
Simonem de Caslia parans oribolum, aut pa-  
rans vela secundum Dionysium: sed à Greco  
παράβολα, quasi collatio, uti interpretatur  
Cicero, rerum natura discrepantium, sub ali-  
qua similitudine facta, ut ex his, quæ animus  
novit, ut loquitur Gregorius Homil. 11. in Ev-  
angelica, surgat ad incognita quæ non novit,  
quatenus exemplo visibilium se ad invisibilia  
rapiat, & per ea, quæ usu didicit, quasi confri-  
catus incalescat, ut per hoc quod sit notum, di-  
ligere discat & incognita amare: potissimum  
cum & tum temporis Syris & Palestinis usita-  
tum fuerit ad omnem sermonem suum parabo-  
las jungere, uti notat Hieronymus Homil.  
18. in cap. 11. Matth. ut discamus auditorum  
habere rationem & discendi observare modum.

2. Et



2. Et per objectum: proposuit illis dicens: Hoc est non suis, sed extraneis, uti habet Chrysologus serm. 96. inimicis non amicis, spectantibus ad calumniam, non audientibus ad salutem. Quare vero his loquitur in parabolis? quia qui calumniatur preterita, videre presentia non meretur: neque dignus est agnoscere gratiam, qui legem, ne cognosceretur, abscondit; quamvis ceteri non excludantur. Ut discamus omnibus gratificandum quidem, sed tamen potissimum presentibus.

3. Explicatim per Metaphoram sumptam a regno terreno: ubi subjectum, Regnum cœlorum assimilatum est, intelligitur verò non regnum gloria, in quo non seminabitur amplius, sed regnum gratia, quod est Ecclesia: quæ propterea ita dicitur, quia ut habitat Deus in cœlo per gloriam, ita in Ecclesia per gratiam, Exod. 20, 24. Et quia uti in regno Rex, ita Deus in cordibus hominum dominatur, Luc. 17, 21. Hieronymus de predicatione Evangelii in hoc caput interpretatur, quæ omnino hujus regni administratio. Unde etiam Regnum cœlorum appellatur Et non tantum Ecclesia est N. T. verum etiam V. cum eadem salutis via Act. 15, 11. Matth. 21, 43.

4. Prædicatum: quoad actum homini se-



minanti. Per quem intelligitur Filius hominis ex versa 37. qui est Christus Psal: 8, 5. Dan. 7, 13. Et seminans verus seu agricola expresse nominatur. Zach. 13, 5. ratione 1. officii, ut enim Adam e paradiso emissus, quo terram coleret, Gen. 3, 23. ita Christus in mundum, ut Ecclesiam sibi pararet, 2. ratione desiderii, ut enim agricola omnem agri sui partem fertilem optat, ita Christus omnium hominum salutem impendio desiderat, 1. Tim. 2, 4. 3. ratione laboris exantlati, uti enim agricultura est res laboriosa, Sir. 7, 16. sic Et Christus in labore gravissimo Ecclesie agrum excoluit, Esa. 42, 24. Ut discamus Ecclesiam non hominis sed Dei esse agrum.

5. Quo ad materiam, ratione objecti; Bonum semen. Quod est iuxta Liranum fides catholica seu verbum Dei uti ipse interpretatur Christus Luc. 8, 11. Atq; diu ita ob fertilitatem, qui nunquam decidit frustra, Esa. 55, 11. ob divina benedictionis necessitatem ex 1. Cor. 3, 16. ex quo sunt filii regni, hoc est fideles Et pii, qui sic dicuntur per Metaphoram, quia ex verbo Dei tanquam ex semine aliquo nati Et renati sunt, 1. Pet. 1, 3. Ut agnoscamus, nos non natos esse Christianos, sed factos, quemadmodum Tertullianus loquitur in Apolog. cap. 18.



6. Ratione subjecti: in agro suo, *Qui est mundus: habet enim se mundus ad semen verbi divini, ut ager ad semen naturale: & quia Ecclesia est in mundo, & colligitur ex mundo; siquidem ager solet in Scripturis figurate mundus appellari August. lib. 2. contra Manichæos cap. 3 per Metonymiam subjecti autem intelliguntur homines in mundo viventes & per Synecdochen generis pro specie cætus vocatorum Unde August. in commemoratione Psal. 21. expol. 2. ait: Ecclesia magna totus orbis est.*

7. De malo: ubi zizaniorum seminatio v. 25. in quo temporis circumstantia; dormientibus autem hominibus. *Et sunt tum securi concionatores & gubernatores; nam hos primario intelligendos movet Hieronymus lib. 2. in Matth. tum etiam alii salutem suam parum curantes, qui per ignaviam locum dederunt hereticis & malis cogitationibus habet & Theophyl. Ut discamus fugere ignaviam, ne per negligentiam inimicus homo superseminet zizania, habet Hieron. hoc est hereticorum dogmata.*

8. Tum facta, quoad antecedens: Venit inimicus. *Qui est καὶ ἐξοχὴν Diabolus, propter jacturam ex sententia Chrylost. Hom. 47.*



in Matth. quam infero hominibus: est enim spiritus nocendi cupidissimus à justitiâ penitus alienus, superbia tumidus, invidentia lividus, fallacia callidus, uti Augustin, eum notat lib. 8. de Civit. Dei cap. 2. Et verè insidiatur, in noctibus latitat, in diebus vigilantes fugit. Ideoq; quod monet Chrysologus cum audis de inimico homine, ne forte cogites de vicino tuo, qui tecum in foro litem habet, qui tibi vult auferre possessionem, qui te vult premere, sed illum semper hostem time, de quo Christus inquit, inimicus homo venit, uti & habet August. in Psal. 40.

9. Quoad consequens semen partim ab effectu in genere; seminavit. Est enim simia Dei, Deumq; conatur in omnibus imitari. Et cum Deus seminaverit, aequè ipse; sed ille de die hic de nocte, ille bonum semē hic vero malum. Ut discamus Diabolum esse vitiorum ducens & autorem, qui ab initio peccavit in 1. Ioh. 3. 8. Ioh. 8. 44. Unde non male Augustinus: Vitii autor est, Diaboli decipientis calliditas, lib. 1. de Pecc. Orig. Deus verò summe bonus, Matt. 19. 17. Non igitur Deus cum bonus sit. mali est causa, uti vel ipse Plato lib. 2. de Repub. disputat, peccatum non vult, Psal. 5. 5. peccatum punit, Deut. 28. 25. nemini peccandi licentiam cecedit, Sir. 15. 11. ID. In



10. In specie, materia: Zizania in medio tritici. Quae sunt filii mali & omnia scandala, uti ex Matth. 13. v. 38. 41. habet August. lib. 1. quæstion. Evangelicarum cap. 10. Et hi filii Diaboli dicuntur, non à causa efficiente profluente, neq; à causa formali, sed partim ab accidente, partim ab effectu: potissimum verò intelliguntur hypocrita, quia habent signa verorum Christianorum, uti zizania veritritici, quemadmodum Hieronymus & Augustinus explicat. Est autem vox zizania, quae nullibi aliàs nisi in Evangelistis & Patribus legitur, idem quod infelix lolium secundum Dodonæum qui Arabicam vocem arbitratur, uti & Suidas; ita tamen ut non nisi ante messem appareat, unde eadem habet folia, & culmos cum tritico. Alias lolium uti habet Theophrastus lib. de plant. tempore autumnii crescit, zizania vero tempore verni tantum, uti colligitur ex textu. 2. lolium dignosci potest & sine periculo tritici evelli. Zizania non itidem dicitur. 3. lolium non est simile tritico, at zizania usq; ad messem, ubi spica pulvere rufente apparent. Deniq; ita interpretatur Augustinus, Hieronymus, & Basilus in Hexa. Interim notandum, quod lolium duplex, commune, de quo non est quæstio & peculiare, quod idem cum zizaniis, Broderod, in quadam Epist. ad Scultetum.



II. Et locus: in medio tritici. *Quia* Diabolus hereses inter fideles, inter sanctos peccata, inter pacificos lites, inter simplices dolos, inter innocentes sevitiā gratis serere consuevit. Non ut acquirat zizania, sed ut triticum perdat, nec ut reos capiat, sed ut adimat innocentes: non peccatores querit capere, quos possidet subjugatos, sed ut justos capiat, sic laborat habet Chrysologus dicto loco: inter segetes Dei sunt certe mixta zizania, id est sunt amatores mundi, amatores pecunia, amatores deliciarum, promittentes & non facientes, voventes & non reddentes, renunciantes malo & iterum idem facientes, haec amantes, zizania sunt inquit August. serm. 232. de tempore.

12. Et effectum: & abiit. Est enim haec malitia Diaboli, ut excitatis hinc inde sceleribus & erroribus asperis, magis ipse lateat, ut habet August in quaest. in Matth. c. 11. quia Diabolus impellit quidem viribus ad ruinam, sed postquam prostravit derelinquit: Non querit hominem, sed hominis interitum, ille malis nostris gaudet, turget ruinis nostris, nostris vulneribus convalescit, nostrum sanguinem sicut, nostra satiatur ex carne, nostris vivit ex mortibus uti habet Chrysol. serm. 96.

13. Conjunctim, quoad antecedens est  
utri-



ptiusque seminis germinatio v. 26. in quo  
tum de bono, ab effectu, & partim: crevit  
herba quia bona; nam quod latet in herba ma-  
nifestatur in spica, & quod celatur in gramine,  
apparet in fructu: sic quos credentes putamus  
pares fide, dispares invenimus,

14. De malo: tunc apparuerunt ziza-  
nia. Ex quibus fructus nullus, interim tamen  
apparuit, uti apparent quoque hypocrita, in qui-  
bus flores multi, multitudinem fructuum pol-  
licentur, sed examinati ventorum flabris ad  
fructum paucissimi perseverant, habet Chrys.  
serm. 39 semper enim Ecclesia est velut lilium  
inter spicas, ait Aug. L. 3. c. 33. contra Faustum  
Manichæum, bonis & malis permixta, uti &  
scriptura testatur Matth. 7. 15. Rom. 9. 7.  
Quemadmodum etiam in arca Noe fuerunt  
omnium animalium genera, pardus & hedi, lu-  
pus & agni Hieronymus adversus Luciferia-  
nos. Ut attendamus & fructus considere-  
mus, nam bonum semen bonos fructus fert, zi-  
zania nullos. Videndum itaque, ut frumentum  
esse possimus bonum, uti monet Cyprianus l. 3.  
Ep. 3. ad Maximinum.

15. Et de mali seminis satione interro-  
gatio. v. 27. in quo tam persona quoad servos,  
de quibus effectus accedentes, autem servi



Patrisfamilias. Quia ipsorum est officium, uti seminare, ita etiam agrum observare: Et non tantum intelliguntur Angeli, uti Theophylactus voluit & Hier. l. 2. in Matth. quia Angeli non ignorant, quis zizania seminaverit neq; soli ministri Ecclesie, quos Deus oeconomos constituit, sed omnes omnino fideles servorum nomine hoc loco veniunt. Nec mirum est, si & bonum semen ipsi dicuntur & servi sunt, quia de se Christus ait, quod sit janua & pastor. Ex diversis autem significationibus una res etiam plures & diversas similitudines recipit, praesertim quia iam ad servos loqueretur: non ait in tempore messis dicam vobis, sed dicam majoribus, habet Hieron. quaest. 17. in Matth.

16. Et dixerunt, ut ostendant studium, dum in causas exortorum zizaniorum inquirent. Ut discamus de malitia impiorum esse inquirendum & conquerendum.

17. Quoad Dominum: Domine. Per quem Patremfamilias seu Christum intelligimus. Ut discamus in negotiis superiores esse querendos.

18. Et materia, tum de bono: nonne bonum semen seminasti in tuo agro? Atqui ita seminasti dicunt, non seminavimus, habet Chrysol. Quo modestiam declarant, quasi di-



dicerent: nos, quod per te facimus, tibi semper nostro assignamus auctori. Et in iis, qua nobis facienda precipis, ipse operator assistit.

19. De malo per interrogationem; Unde ergo habet Zizania? Ignorant originem, quia dormierant, multa ignoramus quia dormimus, ideoque nescimus illa, qua alioquin labor improbus & vigilantia monstrat.

20. Consequens de eradicacione, partim consultatio v. 28. in quo tum de Patre familias est informatio, ipse autem ait illis: inimicus homo hoc fecit: nempe Diabolus, uti patet ex huius capituli v. 39. qui auctor inimicitiae, uti habet Syrus. Unde clare patet & quis auctor malorum. Inimicus vero dicitur, quia semper omnibus obesse conatur conatus ipsius omnis adversus nos. Causa vero & origo, ut nos impugnet, ab odio, quo in Maiestatem divinam fertur est profecta & malignitas inimici etiam inde perspicitur, habet Chrysofost. hom. 18. in Matth. quia non preparavit seminare tum cum nihil poterat interimere, sed cum alia sata diligenter vidisset, tunc seminavit, ut universo simul labori agricola studioque officeret. Nemo vero attendat inimicum suum hominem, quando audit verba ista, sed illum inimicum cogitate, qui est inimicus omnium, habet August. in Pl 40.



21. Et quoad servos, quorum interrogatio formalis: Vis igitur abeuntes colligamus ea, Quo monstrant partim prudentiam, dum non sibi suisq; viribus confidunt, sed Dominum consulunt; & diligentiam, dum sedulo ad evellenda zizania festinant. Quae res sollicitudinem ipsorum erga Satanam ostendit, quodq; ad unum solummodo respiciant, non ut poenam inimicus luat, sed ut iacta semina non depereant, habet Chrysoft. Hom. 48. in Matt. Ut discam9 aequè solliciti esse, quo mala tollantur; & ut moneantur Magistratus de officio & unusquisq; quia qui vitiis nutriendis parcit & favet, ne contristet peccantium voluntatem, non est misericors, quam qui non vult culcrum rapere puero, ne audiat plorantem in convivis.

22. Tum est declatio, partim negativè argumento desumpto à detrimento, ne fiat boni seminis cum zizaniis eradicatio, v. 29. in quo summam negatio: Ille vero ait non. Quam particulam quidem omisit Syrus, sed retinenda est; contradicte autem voluntari servorum propter cumulum commodorū; non quidem prohibuit conciliabula hereticorum coercere, ora obstruere, libertatem loquendi concidere, ut habet Chrysoft. Hom. 47. sed colligere & trucidare prohibuit.



23. Explicatim respectu antecedentis: ne forte colligentes zizania, cum detur locus pœnitentia, quia fieri potest, habet August. lib. 2. in Matt. ut illi, qui hodie sunt zizania, cras sint frumentum: Et boni adhuc infirmi sunt in quibusdam malorum permixtione sive ut per eos exerceantur, sive ut eorum comparatione magna illis exhortatio fiat, ut nitantur ad melius, quibus sublatis, altitudo caritatis quasi sublata marcescit, quod est eradicari, quia nisi patienter, qui mali sunt, tolerantur ad laudabilem mutationem non pervenirent, habet Aug. quest. 12.

24. Quoad consequens: eradicetis simul cum eis triticum. Hoc enim est periculum, sic si Matthæus excisus fuisset, habet Theophyl. in Matt. ex hac vitâ, cum esset zizanium simul atq; excisum fuisset & sermonis frumentum utile & Paulus & Iatro, hi enim cum zizania essent non sunt extirpati, sed permisi sunt vivere, ut crescerent post illorum fructus. Quanta arrogantiæ tumor est, ait Cypr. lib. 2. Epist. 2. quanta humilitatis & lenitatis obliuio, arrogantie sue quanta jactatio, ut quis audeat & facere se posse credat, quod nec Apostolis concessit Deus zizania à frumento posse discernere, Vt discamus cogitationes nostras esse alias, quàm  
Dei:



*Dei: In gratiam ergo bonorum impiis parcedum.*

25. Affirmativa à modo quando zizania colligenda manifestatio, v. 30, in quo conjunctim de modo: sinite crescere utraq;. Non quasi confirmaret & approbaret, sed quia concederet, dum Syrus verbum habet Scabath, quod relinquere denotat. Ut discamus tolerare malos, quia Deus vult crescere in generationem bonorum, in utilitatem eorundem, in correctionem malorum, quia tanta Dei est humanitas & erga nos amor, ut nunquam avertatur pœnitentia, habet Chrylost. paræn. 1. ad Theodosium lapsum. Interim non eradicatio ipsa in manifestis prohibetur, sed eradicationis modus: nempe ut fiat à ministris, 1. in verbo prescripto modo, per predicationem verbi & legis explicationem & applicationem. 2. à Magistratu cognita tamen causa, non per gladium, nisi adhi seditio & blasphemia, sed per interdium. 3. à Patribus familias per monitum, quia nullis bonis inquit August. Epist. 127. ad Donatum in catholica hoc placet, si usq; ad mortem in quenquam, licet hereticum, se viatur.

26. A tempore crescendi usq; ad messem. Quæ est consummatio seculi sive extremum iudicium, id est usq; ad iudicium patientia divina

vina



vina & nostra pœnitentiâ tempus. Quia si Zizania non Dei patientia sublevarer, habet Chryl. serm. 77, nec Mattheum de publicano Evangelistam, nec Paulum de persecutore Apostolum Ecclesia, possideret. Et servis veritas ipsa respondet: non ita hominem constitutionem esse in hac vitâ, ut certus esse possit, qualis quis futurus sit postea, cuius in presentia cernit errorem: ut quid etiam error eius conferat ad profectum bonorum noscatur: non esse tales auferendos de hac vitâ, ne cum malos conatur interficere, bonos interficiat, quod forte futuri sunt: sed tunc oportune fieri, cum iam in fine non restat vel tempus commutanda vitæ vel proficiendi ad veritatem ex occasione & comparatione alieni erroris, ut habet August. lib. quæst. ex Matt. quæst. 12. Origenes quidem quintuplicem facit messem, cum notat & multitudinem credentium, Matt. 9. & futura præmia, Gal. 6. 7. & exultationem piorum, Psal. 126. & communem & annuam messem, Iud. 15. 1. & denique finem huius seculi ut hoc loco: Comparatur verò extremus dies messi, quia 1. huius mundi æstivum insequetur, quemadmodum æstatem messis, 1. Pet. 4. 12. 2. quia tunc pietatis fructus colligentur, dum portabunt cum tripudio manipulos suos, Psal. 126. 5. 3. quia plus in mundi ve-

spe.



*Spera accipiemus sicut in messe plus colligitur quam seminatum, Mat. 20, 4. quia gaudebunt electi, sicut messis tempore, Esa. 9, 3. Et denique quia messis certa est, sic etiam mundi finis.*

27. Et jubendi: & in tempore messis dicam mesforibus. Nempe circa finem mundi dicturus est ipse Dominus Angelis, qui per messores intelligantur. Et quoque Apostoli ita appellantur Mat. 9, 38. Joh. 4, 38. tamen metuntur tantum inchoative, Angeli consummative & finaliter Apoc. 14, 17. Homo ergo carne septus, carnem portans & fere totus caro, id est, caro corpore, carnalis animo, habet August. Hom. de Ovib. non est messor. Erimus quidem & nos si persecerim<sup>9</sup> cursum, aequales angelis Dei, sed modo quando stomachamur contra malos, adhuc homines sumus, habet idem de Parabola seminantis.

28. Distinctim tum de malo seminere ratione modi partim: colligite primum zizania. Quia tribulatione precedente separabuntur impii a piis habet idem August. lib. 11. quest. Evangel. cap. 10. primumque exsecutio futura secundum Matth. cap. 25, 46.

29. Partim: & ligate ea in fasciculos. Hoc est ligatis manibus eorum & pedibus: non enim tunc ultra quis operari poterit, sed omnis ope-



operandi vis legabitur, habet Theophyl. in  
 Matt. Et alligatio fasciculorum in fine futura,  
 ut non confuse, sed per modum perversitatis sue  
 unius cuiusq; erroris pertinacia puniatur, ait  
 August. lib. quæst. ex Matt. quæst. 12.

30. Ratione finis: ad comburendum ea:  
 In camino nempe ignis, uti habetur v. 42. Es-  
 iam parturie flamma celestis, jam divina a-  
 nimadversionis monstratur adventus, jam fu-  
 sure cladis nunciatur exitium; ignis iste scrut-  
 atur abdita, querit absconsa, habet Jul. Firm.  
 de Errore, ut stipula, cuius vilitas in cineres fa-  
 villæq; redigatur, quam rapax ignis violentia,  
 congementis spiritus pascitur, cuius flamma non  
 extinguitur, Apoc. 20, 10. nec finis pœnarum,  
 exspectandus, 2. Thess. 1, 9. Iubet enim, habet  
 Gregorius, in fasciculos ad comburendum li-  
 gare eos, qui eterno igni tradendi sunt, ut quos  
 similis culpa inquinat, par etiam pœna con-  
 stringat.

31. De bono semine ratione modi: At tri-  
 ticum congregate. Id est fideles in agro huius  
 mundi contritos & flagellatos, ait Lyra. Qui  
 cum vero tritico conferri possunt partim in  
 plenitudine, dum magne fidei, magna carita-  
 tis, magne spei fuerunt; partim in albedine,  
 dum induti stolas justitiæ & purificati 1. Thel.

S

4. par-



4, 7. partim in palearū paucitate, dum terrena  
abijciunt & qua supra sunt quarunt Col. 32.  
Congregari verò iubentur, quia est fasciculus  
iucundissimus viventium 1. Sam. 25, 29.

32. Ratione loci: in horreum meum. Id  
est in cœleste gaudium, ubi suis semper aderit  
quomodo enim electis benè esset sine illo? &  
quomodo malis cum illo? habet Bernhard.  
serm. 11. de adven. Ergò agrè toleratis malos  
inquit August. in parab. seminantis permix-  
tos bonis? in agro vobiscum esse possunt, in hor-  
reo non erunt, nam est alia agri conditio, alia  
est horrei; Tolera, ad hoc enim natus es: tole-  
ra, quia forte toleratus es, si semper bonus fuisti  
habebis misericordiam, si aliquando malus, no-  
li perdere memoriam, habet idem Hom. de  
Ovib. Cap. 5. Nobis laborandum, ut fru-  
mentum esse possimus, ut cum cœperit frumen-  
tum Domini horreis condi, fructum pro opere  
& labore nostro accipiamus ait Cypr. libr. 3.  
Epist. 3. Et O quam gloriosum existit regnum,  
in quo futuri! Elaboremus igitur, ut hic simus  
de tritico, quo olim possimus esse in horreo.

---

NOTÆ.

I.

Simile est Regnum cœlorum) Considera  
Regnum DE esse inter nos & agrum esse  
ani-



animam nostram, ut discas aratro con-  
 tritionis cor scindere, semen boni propositi in-  
 jicere & ad maturitatem crescere, donec in  
 horreum colligaris vita aeterna.

## II.

**C**Um dormirent homines) Considera  
 sub dormiendo venisse inimicum; ut discas  
 vigilare.

## III.

**T**Empore messis messoribus) Considera  
 & te posse esse messorum, quoties examinas  
 conscientiam tuam; ut discas angelicum esse  
 officium fructus metere bonos.

---

**CASUS CONSCIENTIÆ.**

An mal. tollendi, an tolerandi in Ecclesia  
 vel Republica?

**A**firmandum posterius esse colligitur 1. ex  
 verbis Christi, dum inquit, sinite cresce-  
 re v. 30. 2. Christus noluit Samaritanos exuri  
 Luc. 9, 54. 3. iura, volunt nos reddere rationem  
 potius misericordia, non ad eò iustitia, quia mi-  
 sericordia plenitudo virtutum c. singulis dist.  
 86. & nocentem dimittere mitius est, quam  
 innocentem punire l. absentem ff. de pœnis.  
 Quin pœna mollienda sunt, non exasperanda  
 l. 42. ff. ibid.

Con-



Contra tamen scriptura vult, ut ministri  
 Ecclesie verbo arguant 1. Tim. 5, 20. Satana  
 tradant 1. Tim. 1, 20. ut Magistratus gladio  
 auferat malum e medio populi Deut. 17, 7.  
 homicidas Gen. 9, 6. blasphemos Lev. 24. 16.  
 veneficos Exod. 22, 18 ut Parentes baculo coer-  
 ceant & castigent filios Deut. 6, 6. Ia quod re-  
 petit Salomon Prov. 13, 24. Paulus Eph. 6, 4.  
 quippe qui parcit virge odit filium Prov. 13, 24  
 Et Deus de manibus parentum requirit exem-  
 plo Heli 1. Sam. 4, 8. Davidis 2. Sam. 13, 31.  
 Argumenta in contrarium volunt, ut ubi non  
 constat de delicto & apparet adhuc dum quis  
 bonus, ut est hypocrita, tolerandus. Jura volunt  
 ne delicta maneant impunita, quia ibi poena esse  
 debet, ubi noxia in l. Sancimus C. de potent.  
 si de haeretico vero intelligatur, & non sit mani-  
 festus, qualis hic colligitur, convertendus, non  
 occidendus Menoch l. 2. arbit. qq. cas. 372. si  
 manifestus, vel est blasphemus & seditiosus,  
 tunc pro delicti qualitate puniendus Novel.  
 77. 4. est enim mali exempli, quod non toleran-  
 dum. Leges Imperatorum intelligendae non de  
 naturali capite sed de civili Wetemb. in parat.  
 n. 6. c. de haeret. & Manich Hakelm, illust.  
 disp. 34. Th. 14. lit. 6. secundum glos. in l. 1. in  
 verb. super verb. capitali, C. ne Christi-  
 manc.





**E**st cœni mundi ager, florū cœni vallis: abundans  
Quippe salutiferis mortiferisq; rosis. (dat  
Id Christus docet & multis enigmata, cœni  
Regnum, dicit agri cœni sator esse solet.  
Qui bona dū spargit sua semina, seminat hostis  
Et lappas, homines stertere quando videt.  
Ast ubi cœpit & herba suos producere culmos  
Et cœpit dominans crescere multa filix.  
Hinc servi querunt, bere semina credita sulcis  
Nonne tuis bona? Dic, cur palurus adest?  
Ille refert: inimicus homo mihi talia sevit.  
Excipiunt illi: tollere nonne placeat?  
Is contra: nolo ne fors zizania quando  
Eradicetis, tritica grata simul.  
Viraq; dum messis concedite crescere: tandem  
Disjunctum melius quibit utrumq; legi.  
Ipse iubebo meos messorum: Euge ligate  
Fascēs ex lolis ignibus hasce dabo,  
Triticeos verò post hac comprehendite fascēs,  
Quos mea selectis horrea plebo mihi.  
Nos ubi corpor habet, vigiles ô Christe nocivus,  
Triticeas lolium ne serat inter opes  
Hec reperit, modo pergat, BLUMENTHALIUS  
Fructibus insignis florea vallis erit! (usq;

GUEINZIUS.

---

**U**t vale floribus perinde quam spectas  
pulcram, meris pro liliis abundate

MOX




mox lappa segnis asolet, velut cultor  
lectique grano farris obliturere  
semper tamen nocens & æra prodit, sic  
in orbe cum Iehova seminat puram  
Ecclesiam sibi, repente livore  
adest Satanis undiquaque permixta  
manus scelestæ, præcavere quam nobis  
non amovere deinde, præcipit Christus,  
sed ferre messis usque tempus extremæ,  
ut æviterno post rogo cumentur. Quæ  
nuncrite BLUMENTHALIUS refert. Porro  
sed sacra verset usque flos erit Phœbi,  
quin lilium beatitatis in valle!

*Andreas Alexandri K. M.*

---

<sup>grati</sup>  
**I**ngratig, velut dum tempora vernant  
Flores florifera in valle virere solent.  
Sic ager & Christi ingratos gratosq, ministrat  
Fructus, cum lolio lilia mixta virent.  
Huic suffragatur Christus BLUMENTHALIUSQ,  
T memasin hoc repetit publicat omne typis  
Si sic à lolio discernere lilia pergit  
Immunis lolii florea vallis erit

Johannes Glade.





02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



VΦ 17



EVANG.

CHRIST.

HALL.


Q2.C





Farbkarte #13

B.I.G.



Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



TIARUM  
ELICARVM

*Decima tertia*

ÆSIDE

O GUEINZIO

asii Salani

ectore


*ondente*

BLUMENTHALIO

omontano

*post Epiphanias*

cl. 10c. III.



SAXONUM

*m Melchioris Oel-*

*blegely*

*Dno Ungern*

